

DISSERTATIO ACADEMICA,
EXAMEN ARGUMENTORUM
PRÆCIPUORUM
PRO EXISTENTIA DEI
EXHIBENS.

CUJUS PARTEM PRIMAM,
CONS. AMPL. FAC. PHIL. IN REG. ACAD. ABOËNSI,
PUBLICÉ EXAMINANDAM SISTUNT
*Mag. ERICUS JOHANNES
FROSTERUS, Job. fil.*

S. S. THEOL. DOCENS ET AD REG. ACAD. BIBLIOTH. AMAN. EXTRAORD.

ET
ZACHARIAS WAHLSTEN,
ABOËNSIS.

IN AUDITORIO MAJORI DIE XVI DEC. MDCCCLX.
HORIS A. M. CONSVENTIS.

ABOË,
IN OFFICINA FRENCKELLIANA.

אָמַר נָבָל בְּלֹכֶד אֵין אֱלֹהִים
Impii cogitant non esse Deum.

DAVID.

EXAMEN
PRÆCIPUORUM ARGUMENTORUM
PRO EXISTENTIA DEL.

§. I.

Quemque historiæ humani generis non plane rudem fugere haud potest, viros bonos sapientesque omnium gentium, quæ, primam egressæ generis nostri barbariem, ad aliquam, literis colendis, ingenii culturam pervenerint, in doctrina, quam vel hodienum omnes summa animi pietate veneramus atque colimus, de summi rerum omnium auctoris moderatorisque existentia, fundamentum omnis religionis dudum posuisse. Quid enim esset religio, sanctissima hæc cœli filia, nisi esset quoddam, cui omnes competitur perfectiones, ens supremum? Nonne merito pro mera habenda esset superstitione, fraude, dementia, indigna omnino quoque fano homine? Quæ enim potest esse veneratio, si nullum sit hujus venerationis objectum? quæ legum reverentia sine legislatore? quæ animi tranquillitas, si nullus esset, qui fata nostra & sapientissime & benignissime volveret, curamque omnium gereret? Summis itaque laudibus

A

bus

bus dignissima sunt conamina, quibus Philosophi omnium gentium temporumque hanc de Summo Numinis gravissimam doctrinam quaeunque, qua valuerunt, ratione & explicare & firmare, principiisque immotis superstruere annisi sunt, varias adeo, multasque in conquirendis pro existentia Dei argumentis ingressi vias, ut nova, quæ illis superaddat, vix invenerit, nec invenire queat nostri saeculi vel sollertia industria. Argumenta vero haecce, sive ex naturæ & rerum in sensus incurrentium contemplatione, sive ex fundo animi humani, sensuque quo gaudemus recti & honesti hausta, cum variorum populorum, temporum & doctorum variam sapient cogitandi & judicandi rationem, mutatasque semper induerint formas, pro morum scientiarum atque opinionum tam philosophicarum quam popularium varia indole; erit certe novam continuatamque in illis examinandis, & ad ævi cujusque genium effingendis pone-re operam. Pendet quamplurimum ex saeculi sui, cui mores & ingenii culturam debet, gustu atque iudicio vel acutissimus Philosophus, quamvis & supra servilem imitorum turbam evectus, e suo quasi penitus dictata sua depromere videatur; quamobrem & decet ipsum, cum in eo est, ut sive veterum, sive sua placita proponat, temporis cujusque, quo floret, obtemperare ingenio, quo eadem prisco atque obsoleto, quo olim prodierunt habitu exuta, novitatisque quadam ipsis iam parata honestiori & gratori specie.

in

in animos lectorum vel auditorum eo facilius insinuat, assecurumque & approbationem dictis conciliat a).

Hinc itaque factum est, quod & locus de Deo & ejus existentia, quamvis jam in antiquorum scholis satis vexatus & ad umbilicum, ut plerisque visum est, perductus sit, nova tamen forma, novoque, (aprioritatem an ineptiorum? haud dicam!) dicendi genere expressus in scriptis Philosophorum nostri ævi compareat; præfertim inde a quo Cel. KANT b) illum denuo & liberius sub incudem revocare, argumentorum nimis forte secure dudum adhibitorum vim restringere, hisque, ut opinatus est, sublatis deletisque, novum sic dictum *moralē*, ex sua mente unicum, quod rei probandæ robur adderet, substituere aggressus est. Quæ quidem varia ab his valde laudata & æstimata, ab illis iterum culpata, rejecta & male habita demonstrandi & ratiocinandi genera cum jam paucis expōnere & ponderare constituimus, benignam Lectorum & expertimus & speramus censuram.

A 2

§. II.

a) Cfr. J. CHR. GARVE *Versuch über verschiedene Gegenstände aus der Moral, der Litteratur und dem gesellschaftlichen Leben*. 1802. V. Th. pag. 2. seqq.

b) Cfr. Ejus *Kritik der reinen Vernunft*, 4 Aufl. 1794, p. 672, seqq.

§. II.

Ne vero verbis ludendo, inanesque persequendo verborum sonos, vagam vel fictam omnino & sanæ rationi fortassis contrariam amplectamur Divinitatis notionem, placet primum in hac finienda ea versari cautione, ut ne illum, quem Deum appellamus, per errorem turpiter commutemus cum cœco & irrevocabili Stoicorum fato; neque cum fortuito, de quo fabulati sunt *Epicuræi*, atomorum omniumque eventuum sublunarium conflieti; neque cum universa, quam contemplamur, rerum natura atque cōpāge, præter quam nullum alium esse Deum SPINOZA, LESSING, ceterique vel crassiores vel subtiliores Pantheistæ demonstrare cōnati sunt; nec denique cum FICHTII & sodalium haud ita pridem tantopere commendato morali sic dicto mundi ordine, (*moralische Welt-ordnung*, quem & appellare solent: *eine in eines Jeden Innern aufgestellte Heils-Ordnung*) cui vero abstractæ in sola mente & conscientia nostra morali, per intellectualem quandam intuitionem s. sensationem (*eine intellektuelle Anschauung*) informatæ notioni nulla realis & extra mentem vere existens respondeat substantia e).

Esse

e) *Idealismi*, vel si mavis *Atheismi*, hujus Fichtiani primas lineas, a Rectori quodam FORBERG nimis audacter ductas, exhibet Diarium Philosophische Journal 1798.

5

Esse animis nostris præfigia quædam Divinitatis, omni experientia, sensuumque externorum usu priora, alte adeo insita, ut etiam deficiente omni institutione tam divina, quam humana, sepositaque omni ad mundum sensibilem attentione, veram tamen

A 3

Sum-

Heft. 1. a FICHTE & NIETHAMMER editum, quas vero dein pluribus augere & defendere conatus est recentissime hujus sic dictæ philosophiae stator, postquam opiniorum suarum noxiarum, omnique religioni valde inimicarum accusatus & ad jus dicendum vocatus est, evulgatis scriptis: *Appellation gegen die Anklage des Atheismus, & Gerichtliche Beantwortung.* 1799. Varie dein post ipsum varii locum hucce illustrarunt & commentati sunt, e quibus præcipuos, qui quidem nobis innotuerunt, nominasse juvat: FORBERG *Apologie seines angeblichen Atheismus.* 1800. REINHOLD *Ueber die Paradoxien d. neuesten Philosophie, & Sendschreiben an LAVATER und Fichte über d. Glauben an Gott.* 1799. SCHAUMAN *Erklärung über Fichtes Appellation.* 1799. J. E. C. SCHMIDT *Nachricht an das ununterrichtete Publicum die Fichtsche Atheismus betreffend* 1799. &c. In partes vero Fichtianæ hypothesi oppositas abierunt potissimum J. A. E. BERHARD in duobus libellis: *Ueber d. Gott des Hr. Prof. Fichte und den Götzen seiner Gegner, & Versuch einer genauern Bestimmung d. Streitpunkts zwischen Fichte und seinen Gegnern.* HEUSINGER *Ueber d. Idealistisch Atheistische System d. Hr. Prof. Fichte.* JACOBI *an Fichte,* ut plura alia majoris minorisve momenti annis super præterlapsis ex occasione laudatae controversiae edita scripta taccam.

Summi Numinis ideam, ex adyto mentis sue, instinctu neunpe quodam rationali connato impulsu, evolvere atque explicare valeant mortales, post prosligatas in primis a LOCKIO *d)* ideas quasvis innatas, non est, quod jam urgeat sanus quisquam Philosophus. Cumque limitibus omnibus necesse est careat, quem Deum cogitamus, ita ut nec locus nec tempus ipsum capiant, fatis patet, nos neque sensuum neque imaginationis adjutos ope ad illum intuendum ascendere posse, quare & ipsum nobis plane incomprehensibilem esse, notionemque ejus omnis finitae mentis aciem multum superare, cum SIMONIDE *e)* statuere haud dubitarunt quotquot de Deo & antiquioribus & nostris temporibus philosophati sunt, in primis vero & pessimo consilio, qui, ad atheismum proclives, omnem Summi Numinis humano generi eripere voluerunt seculum atque reverentiam *f)*.

Quid

d) Cfr. librum ejus notissimum *de intellectu humano*, L. I. Cap. II - IV.

e) Resent de celebre hocce Græcorum Poëta & Philosopho CICERO: Cum Hiero Tyrannus ipsum rogasset: *Quid aut quale sit Deus?* postulassem ipsum sibi unum diem deliberandi causa. Cum idem ex eo postridie quereret, biduum petivit. Cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret? Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videatur obscurior. *De natura Deorum*, L. I. C. 22.

f) Cfr. BUDDEI *Theses de Atheismo*, C. VI. §. 7. & WALCH

Quid quod in ipsa Christiana Ecclesia, non solum
in Scholasticorum spinosis scholis, sed & inter Theo-
logos magni nominis, serio & acriter disputatum sit:
utrum Deus definiri queat? cuius interrogationis alias
non potuit, saltim non debuit esse sensus, quam hic:
utrum liceat, utrum valeamus, certam adeo & intelli-
gibi-

Grundsätze d. natürlichen Gottesgelahrheit, p. 95. seqq.
Eminet in his Divinitatis hostibus famosus ROBINET, qui
nudum & mente casum *Naturæ* vocabulum communiter
recepit Dei notioni substituturus, pluribus in libro *de*
la Nature locis urgere haud veretur, nos de Deo ejus-
que proprietatibus, a nostra utpote intelligentia remotis-
simis, nonnisi vagas, omninoque falsas & absurdissimas
nobis formare posse notiones. Sufficiat nonnulla tantum
ex plurimis hujus generis exempli loco appoluisse effata:
Nous n'avons d'autres notions des attributs divins que
celle, qui se forme en nous de la connoissance de nos
propres facultés. *Cette notion n'est que celle d'un Etre,*
qui n'est pas Dieu, celle de l'homme jusqu'à une ex-
tension chimerique ou affranchie par une illusion de l'i-
magination des bornes, qui lui sont nécessaires. T. II.
Ch. 2. Ex quo aburdo principio absurdiora adhuc de-
ductit conjectaria: e. gr. *Dieu n'est point un être intel-*
ligent, Ch. LIII. *Dieu n'ignore rien, & ne fait rien*,
Ch. LXII. *Dieu est ni bon ni saint parcequ'il est un*
être tout parfait, Ch. LXVI. Sed eheū! tatis jam talium
captionum & sophismatum, in quibus diluendis egre-
gie in primis versatus est PLOUQUET in libello cui tit.
Propositiones Robineti de incompréhensibilitate Dei sub
examen revocatæ. 1765.

gibilem de Deo ideam in animo nobis informare, ut eam non solummodo tenere, facileque & indubitate a reliquis, quas sibi fingit mens nostra, notionibus distinguere possimus, verum etiam, ut ei, tamquam fundamento suo præcipuo omnis & religio & morum doctrina superstrui & cum illa conjungi possint? Cum enim ne quidem rerum sensualium experientiaque scrutinio subjectarum intimam naturam & modum quo sunt (*essentiam* appellant) eruere & explicare valeamus, absurdum omnino, immo impia plane foret arrogantia, velle finitæ mentis nostræ acie in lucem, qua cingitur infinitus Deus, inaccessibilem involare, paucisque sive in animo pervolutis sive verbis expressis notionibus, universam atque omnibus numeris absolutam majestatem divinam complecti, sieque totum immensum perfectionum ejus ambitum arctis nostræ intelligentiae includere limitibus *g).* Satis nobis sit de lumine, quod sedem gloriæ ejus circumdat, infinito tantum luminis accendere, ut rationis nostræ

g) Ob hanc intellectus nostri dudum agnitam impotentiam evidenter & complete sibi repræsentandi *quis*, *qualis*, *quantusque* Deus sit, jure dicimus totam nostram de eo cognitionem esse mere *symbolicam* & *analogicam*, adeoque carere *objectiva* omni, de qua loquuntur Critici Philosophi, *realitate*; quod tamen haud impedit, quominus *subjective* vera esse possit, summis ejus, quas nos cogitare valeamus, perfectionibus, moralique nostræ nature conveniens.

ſiræ & theoreticæ & practicæ piis desideriis quedammodo ſatisfaciat, cauſas rerum contingentium & eventuum mira atque multipli ci varietate undiquaque nobis obvenientiam ſufficientes commonſtret, pietatem & fiduciam in Deum excitet, ſpemque immortaliſtiſ ſirmam atque jucundam in nobis accendat atque ſoveat.

Cum vero nullo ſenſuum, neque *interni*, quo eorum quæ animus noſter percepit, agit, judicat, ſentitque, nobis metu ſumus conſciū, neque *externorum*, quibus mundo ſenſibili jungimur, auxilio, Deum intellectui noſtro præſentem quaſi & coṇprehensibilem firſtere valeamus; quæritur jure, qua demum ratione haec ſublimis idea Numinis infinite perfecti in mente finita oriri potuerit? quaquæ via ad eam animo informandam hebetes mortales, humo addicti, contendere auſi ſint?

Voluit Deus, ut ſubſtantia quævis intelligentes, certe non ſibi ſolum & mortali huicce vitæ, ſed altioribus conſiliis & æternitati natæ, ſenſu Creatoris, Sustentatoris & Rectoris ſui gauderent ſapientiſſimi, optimi & sanctiſſimi. Hanc itaque ob cauſam, teſte PAULO Actor. XIV. 17. ὅντες διδάχητος ἐαυτὸν αὐτὸν, totam vero & ſenſuum & intellectus imperio ſubjectam rerum exiſtentiam universitatē innumeris, iisque clarissimis atque indubijs, complevit ſummarum

fuarum perfectionum documentis, quibus se ubique reverendum, amandum & colendum exhibuit, cujusque placitis & consiliis refragari nefas omnino eset atque impium. Eximia itaque atque divina prorsus ad hæc omnia attendendi facultate, quam mentibus nostris simul impressit, nos simo solutos ad se mundique intellectualis sublimiores regiones surgere jussit, nectendo, ex lege sic dicta *causalitatis*, facile & necessario fere cujusvis intelligentiae obvia, certos effectus certæ eidam causæ efficienti, ordinem ordinatori, leges & jura supremo eidam eorum statori ac vindici; ex quo itaque fonte etiam ethnicos veram notiōnem Dei ter optimi maximi haurire potuisse, debuisse, affirmat PAULUS Rom. I. 19, 20.

Inde a quo fasciis suis evoluta expurgiscere incipit ratio humana, sensuum abripitur vi ad innumera, stupenda, & pulcherrima, quibus non tam cingitur, quam obruitur, naturæ phænomena contemplanda, scrutanda, admiranda; cumque immato quodam, atque naturis intelligentibus communi, simul ducatur sensu nisi que, effectus ad causas suas referendi fortissimo, eas vero, per universas naturæ regiones divagata, constantes sufficientesque nec in se nec intra reliqui mundi sensibilis atque finiti limites indagare valeat, hos audacter transgresfa, in causa quadam omnium, quæ existunt eveniuntque prima, extra mundum collocata, quæ per se necessario est, adeoque a mundo diversa de-

¶

demum subsistit, cuius numini, spretis haud raro causis quibusvis secundis, & existentiam & imperium rerum omnium subjicit; unde factum est, quod inde ab incunabulis suis ad perceptionem quandam fidemque Divinitatis amplectendam omnes omnium terrarum atque temporum gentes propensae admodum fuerint, quamvis de cetero in hac notione uberioris evolvenda & adornanda, pleraque, dolendum in modum hallucinatæ, fœdasque varias superstitiones pro vera atque genuinis rationis principiis superstructa, religione amplexatae sint, prout saeculi & populi cuiusque tulere ingenium, opiniones, cœli aërisque temperies, mores, diversaque quibus asfueyere vivendi & vitam sustentandi genera.

Orta hunc in modum tam in rudioribus quam cultioribus gentibus prima atque omnibus fere communis notione de Deo, rerum omnium ultima causa, creatore atque moderatore, facilior jam inde fuit ratiocinantis mentis progressio ad varias Numinis hujus detegendas affectiones atque proprietates, exigendo scilicet ipsum omnibus finitæ naturæ limitibus, tribuendoque ei, totius nempe universi creatori & rectori, omnes perfectiones, quas modo mens humana capere sibi representare valuit *h).* Oportebat ita-

B 2

que

b) Triplici hacce via, scilicet *causalitatis*, *negationis* & *eminentia* nos ad cognitionem Dei pervenire posse, Schol.

que necessario ipsum cogitare sapientissimum, qui vastam hancce atque pulcherrimam innumerarum rerum atque animantium compagem seite adeo ad consummatisimæ harmoniæ regulas singere, fictam adornare, ornatamque nutu suo ad fines obtinendos perfectissimos dirigere intellexerit; *potentissimum* itidem, cui affatim virium hæc omnia efficiendi suppetierit, cujusque omnipotenti arbitrio necesse est res quævis humanæ obtemperent; *optimum* denique, qui naturis omnibus vita & præsertim ratione præditis paterna omnino cura indulgentiaque consuluit, ut ipsis, dum hic commorantur, non uno modo bene sit; ex quibus omnibus junctim sumtis ratio, usu & rerum continua attentaque consideratione exercitata, jam colligit, esse Numen hocce supremum a mundo diversum, fato quovis & fortuitis rerum humanarum eonversionibus exemptum, cœli terræque supremum Dominum, dignum itaque quem timore, amore & summa admiratione prosequatur pendens ab ipso tot nominibus mortalium genus.

Deest vero adhuc in allata Dei notione, quamvis egregia, imo sublimi, atque ad rationis theoreticæ præcepta sapienter constructa, summum ejus, quo præsertim eminuit, & numquam non eminebit, comple-

Iasticos jam pridem docuisse & Philosophos & Theologos, notissimum est.

plementum, *Sanctitas* nimirum hujus Numinis atque
Justitia consummatisima, inviolabilis boni justique
amor, quibus universo mundo morali, ejusque intel-
ligentibus incolis, recti semper tenacissimus, impe-
rat, non solum leges ipsis ferendo sanctissimas, æ-
quissimas, sed & providendo ut his legibus sua im-
mota & intemerata ubique constet auctoritas. Et eun
ex principiis, quibus continetur regiturque mundus
physicus f. visibilis, sensuum ope nobis familiaris, or-
do hicce moralis minime derivari possit, neque ullus
recti justique sensus in animo humano unquam ortus
fit, nec oriri queat, vel accuratissima ad solas res ex-
tra nos positas adhibita attentione, sequitur, ex ady-
to mentis nostræ prima officiorum præcepta eruend
da esse, quæ suamet vi, & si vel nulla illico virtutem
manerent præmia, integerrimam absolutamque
honesti reverentiam exposeunt, quibusvis sensuum il-
lecebris cupiditatumque lenociniis superiorem. Hæc
pia conscientiæ dictamina, quæ animo suo funditus
evellere neque flagitiosissimus unquam valebit religio-
nis contemtor libidinumque servus, & quæ hominem
probum iis addictum supra omnem naturæ physiæ sphærat, & fatorum sive inconstantiam sive injuriam longe evehant, recta simul via, nos ad sum-
mum eorum auctorem agnoscendum & reverendum
ducunt, qui, sanctitatis suæ majestate æternum vene-
rabilis, per ea divinitatis quandam imaginem in no-
bis expressit, in nobis quasi habitat, conscientiæque

nostræ legem indidit omnibus legibus majorem, cuius summam sanctissimus Salvator optime his verbis exposuit: Ἐσεθε οὐν ὑμεῖς τέλειοι, ὡσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἐν τοῖς εργανοῖς τέλειος ἔστι, Matth. V. 48 i).

Ex his, quæ de genuina Dei notione constituta breviter disputavimus, in unum collectis, facile jam efficitur, *Deum* nobis audire, qui ab universo rerum contingentium ambitu diversus, per se existit, omnium quæ extra ipsum existunt creator, pater atque gubernator, adeoque idem summa, supra omnem nostrum conceptum, sapientia, omnipotentia, bonitate & sanctitate praeditus, in quo itaque unitas cogitamus omnes perfectiones, quas, sive in rebus finitis indagatas & analogica ratione in ipsum translatas, sive abstrahendo in intellectu formatas, mens nostra unquam concipere & tenere valuit.

§. III.

i) Notum est recentiores Criticos Philosophos, spretis improbatisque omnibus rationis sic dictæ theoreticæ (*empiricis* ut loquuntur) conatibus, ex visibilis naturæ consideratione notionem evolvendi Summi Numinis, eam totam unice ex solis, quæ jam tradere conati sumus, practicis & moralibus principiis deducendam esse statuere. Qua ratione in hoc argumento tractando versentur, concione & ad popularem quoque captum accommodate exponunt L. H. JAKOB *Allgemeine Religion*, Th. I. Abschr. 1-11. 1797. & K. RECHLIN *Populäre Darstellung des Einflusses d. Kritischen Philosophie in die Hauptideen des bisserigen Theologie*, p. 65 seqq. 1795, ut alios taceam.

§. III.

Existitne vero hic Deus etiam extra nostrum intellectum? Num firmis satis & indubiis argumentis probari potest, ortam esse & pendere ab ipso totam rerum naturam, universum quem novimus mundum & physicum & moralem, visibilem & invisibilem? Annon potius soli ignorantiae, erroribus, & superstitionibus fortassis priscorum saeculorum haec opinio tota quanta ortum debeat? cum teste CICERONE nulla quidem sit tam barbara natio, nulla gens tam efferrata, cui non insideat persuasio Deum esse? k)

Sunt certe argumenta, quibus existentia Dei & in scholis & in populari institutione evincitur, ejus generis, ut persuasionem ex omni parte absolutam atque omnibus dubiis superiorem, quam in Geometricis assequi solemus, minime pariant; nihil tam minus in veritate doctrinæ hujus asferenda & stabilienda id habent ponderis, ut tuta omnino fide, piaque mentis pace eam potius amplecti quam respuere, eam potius in sanctissima religionis & virtutis sacraria invehere, quam e mundo & civitate ejicere conveniat, oporteat. Vix praeterea, ac ne vix quidem, subtiliori illo atque abstruso mathematico demonstrandi genere, si vel & in hoc loco exponen-

k) *De Natura Deorum*, C. II: dum.

ponendo atque tuendo valeret, multitudinis assequeretur assensum & popularēm approbationem, multo minus religiosam illam fidem & moralem Summi Numinis reverentiam, quae voluntatem emendat, intimaque animi præcordia afficit, movet, demulcit, & ad virtutes quasvis & præclare facta homines fortissime incitat ¹⁾). Verissima enim manent, quae post HABACUCUM, quamvis alio sensu asserit PAULUS: Δίκαιος εκ πίστεως ζήσεται, Rom. I. 17. & in eandem mentem alibi: Επίσευσε Ἀβραάμ τῷ Θεῷ καὶ ἐλογιζθῇ ἀντῷ εἰς δικαιοσύνην, Rom. IV. 3.

Lubet itaque jam paucis, pro instituti ratione, præcipua recensere argumenta, quibus & prisci & recentiores Philosophi doctrinam maximi momenti de existentia Dei fulcire & contra Atheorum, Scepticorumque juncta veritatem ejus subvertendi molimina munire conati sunt, quo sic constet, quid ex his omnibus inter se collatis & aestimatis firmamenti fidei nostræ, religioni & morum disciplinae accedat?

Primum inter hæc occupat locum *Ontologicum* illud, *CARTESIO* in primis asseclisque olim probatissimum, ideoque & *Cartesianum* appellatum, ab ipsa entis perfectissimi idea desumptum, cuius hæc in Philosophia

¹⁾ Cfr. J. C. DÖDERLEIN *Christliche Religions Unterricht*, IV Th. 1729. pag. 75. seqq.